

quomodo etiam lucem aliquam condensatam, aliam raram vel subtilem esse debeamus dicere, non apparet. Accedit huc, quod *emittere radios & videri vel videri posse*, non pari ambulent pasu. Sic nec nubes, quæ irradiatur, aut iris & ignis lucem tam compactam habent, ac habent astra, nec quoque nubes vel iris lucem emittunt & nihilo tamen minus videntur. Cur ergò videri non poterit etiam cœlum empyreum, positò, quod subtilioris lucis fit, nullosque ejaculetur radios? id enim non impedit, quò minus visum terminare atque movere possit: sicut idem patet de corporibus lucidis raris atque subtilibus aliis.

§. 8. Hòc ponte dejecti Conimbricenses aliud figmentum comminiscuntur, prætendentes Cœlum empyreum interiùs esse lucidissimum & splendorem jaculari, ex parte verò exteriori & inferiori, quâ terras despicit, non fulgere, nec ad nos lucem fundere, quod ex eâ non sit diaphanum, sed densitate quasi velò tectum: quemadmodum in fabricâ tabernaculi, quod univèrsum repræsentabili, tertia pars, quæ dicebatur *sancta sanctorum*, velò quòdam occultabatur, ne adspiceretur. At unde ipsis constat de tali ex densò & rarò, lucidò atque opacò texturâ. Aut si certam rationem istius asserti non habent, cur sine ratione, sine fide adseritur?